

**Partis II. Illustriorum Jesaiaë Locorum Dissertatio XVI. De Deserto Maris,
Tanqvam Primæ Prophetiæ Capitis XXI. Objecto : Ex Jesaiaë XXI. v. 1.**

Rostochii: Typis Nicolai Schwiegerovii, [1702]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003435734>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 1702

Habichhorst, Andr. Dan.

16

368
PARTIS II.
ILLUSTRIORUM JESAIÆ LOCORUM
DISSERTATIO XVI.
De,

DESERTO MARIS,

TANQVAM
PRIMÆ PROPHETIÆ CAPITIS XXI,

OBJECTO,
EX JESAIÆ XXI. V. I.

Quam
Adjuvante DEO - Homine & R. FCte Theol. consentiente,
PRÆSIDE

ANDREA DANIELE
HABICHHORSTIO,

S. Th. D. ejusdemq; PP. & Consiliario Consistoriali,
nec non FCtis Theol. Collegiij; Ducalis & totius Univerf. Seniore,
collationi Academicæ

²³
ad d. 30. Sept. A. 1702. in Aud. Maj. instituenda siffit
JOACHIMUS Brüßing / Warenâ Mekelb.

ROSTOCHII, Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampl. Senat. Typogr.

L. M. Köppen

GENEROSISS, MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS
& AMPLISSIMIS
DOMINIS,
DN. CHRISTOPH. NICOLAI
à Breiffenfrank /

Polyhistori & Publicistæ Excellentissimo longèqve celeberrimo, Legatio-
nibus plusquam viginti ad Imperatorem, Reges atqve Electores perillustri, & non ita
pridem Sereniss, Ducis Sleswico-Holsatiæ & Principis Frisæ Orient,
Consiliario intimo meritissimo,

DN. HENR. RUDOLPHO
Kedeler /

Serenissimi Ducis Mekelb. Regentis Consiliario Aulico &
Hæreditario Domino in Poträms & Scharstorf Splendidissimo,

DN. DIETERICO Wolffraht /

Arcis Ducalis Svanensis nuper Præfecto supremo,
Hæreditario Domino in Warstorf & Brockhusen
maximè conspicuo,

DN. DIETER. SAM. Wolffraht /

Hæreditario Domino in Lütten Stove fulgidissimo,

Dominis Mecænatibus, Patronis & Fautoribus
summoperè observandis & colendis,

DISP, hanc EXEGETICAM

In obsequiosi affectus argumentum,

studiorumque suorum commendationem,

cum voto perpetua felicitatis,

qua par est submissione inscribit

JOACH. Brüßing / Resp.

De
*Deserto maris, quod obiectum Prophetiae prima
 capituli 21. v. 1. designatur.*



Contemplatione *incessus Jesaie nudi*
 & *discalceati*, cap. 20. descripti, ad no-
 vū *Massa*, quod longè controversissim-
 um est, & cap. 21. primo proponi-
 tur loco, pedem promoturis, obscu-
 rus statim & fermè ænigmaticus,
 adeoq; planè controversus ejusdem
 titulus *Massa Midbar* jam h. e. pro-
 phetia *onerosa deserti maris* vel *contra desertum maris*, obstat,
 quò minùs ad ipsa prophetiæ hujus contenta inoffenso pede
 progredi queamus, nisi dilucidationem ejus præmiserimus.
 Quatuor verò in illo *Massa* occurrunt: (1) *Prophetiæ in-*
scriptio s. *titulus* jam dictus v. 1. (2) *prophetiæ præmia* v. 1. 2.
 (3) *ipsa prophetia* à v. 2. ad 9. (4) *Epilogus* prophetiæ epiphon-
 ematicus v. 10. In ipsa prophetia quatuor rursus mo-
 menta observantur: (1) *Hostium Jhudææ designatio &*
excitatio, verbis DEI facta v. 2. ubi nominantur tam *pre-*
varicator & vastator sc. *Babylonius*, quàm *auxiliares Persæ*
ac Medi. (2) *Designationis hostium operatio*, ubi *pœnalis*
gemituum Jhudææ permutatio v. 2. præprimis gravissima
Prophetæ perturbatio v. 3. (3) *securitatis vastandorum re-*
præsentatio, quippe qui hinc commessantur, illinc accla-
 mant, v. 5. (4) *Speculatoris à Jesaia jussu DEI constitutio*,
 ubi occurrit (a) *dictum Domini ad Prophetam* v. 6. (b) *fa-*
ctum speculatoris, qui describitur (1) *ut videns multitudi-*
nem hostium & curruum ab eqvis, asinis & camelis tracto-
rum v. 7. (2) *ut attendens & audiens cum Leonem clamantem*

DISP.
XVI.

R r

tem

tem v. 8. tum quoque nuncium dicentem: cecidit, cecidit Babel v. 9. Circa inscriptionem s. titulum מַשָּׁה מְדַבֵּר יְיָ i. e. prophetia onerosa contra desertum maris, quatuor etiam quaestiones occurrunt ventilandæ (ut jam de voce *Massa* non disquiramus, quam supra Disp. I. partis hujus II. ad *Massa Babel* exposuimus) I. an *desertum* maris in titulo hoc *objectivè*, an *efficienter* sumatur. h. e. an per desertum illud maris intelligendum sit *objectum* prophetiæ hujus sive terminus ad quem; an verò *principium* & terminus à quo? II. Si desertum maris hîc *objectivè* sumatur, quid per illud significetur? *Babelne* juxta communem interpretum sententiam, an alia tellus? III. Si Babel sit *objectum* hujus *Massa* sive alia tellus, quæ *appellationis* hujus, quæ *desertum maris* dicitur, sit *ratio*? Tandem IV. an verba versu primo post titulum posita (*sicut turbines in austro* &c.) ad titulum spectent & cû eodem tanquam expositio ejus sint conjungenda; an verò ipsa potius prophetia hisce versus primi verbis ex abrupto inchoetur? Quas quaestiones si exposuerimus, antequam locum quendam ex ipsis Prophetiæ contentis consideraverimus, operæ dispendium non erit: siquidem expositionis hujus occasione non pauca planèque controversa ipsius Prophetiæ momenta, versibus 2. 3. 4. 5. & 10. contenta, simul exponentur, & reliquis etiam versibus lumen quoddam accendetur.

§. 2. Ad I. quaestionem, an per *desertum maris* in titulo intelligatur *objectum* hujus *Massa*, cui desolatio prænunciatur, an vero *principium* s. *terminus à quo*, ut sit sensus: excidum, quod in hoc *Massa* denunciatur, adventurum est ex *deserto maris*? videtur quidem respondendum esse & quidem ad prius quaestionis membrum negativè, ad posterius verò affirmativè. Nam pro deserto maris *efficienter* sumendo,

mendo, ut sit principium à quo venturum sit onus, militare videntur(1) verba immediate hunc titulum in posteriori versus primi membro sequentia, ubi disertè hostis vel onus ex deserto, ex formidabili terra venturum dicitur (2) favet Chaldaeus, qui titulum hunc ita expressit: *onus castrorum, quæ veniunt ex deserto sicut aqua maris.* Neque (3) abnuat R. Abarbenel, qui Massa hoc quidem statuit Hierosolymitanum, sed desertum maris in titulo intelligit efficienter, ita hunc titulum exponens: מִדְּבַר יַם שְׁהוּן כִּבְל יְבוֹא עַל יְרוּשָׁלַיִם כַּמְחֲרוֹת גְּדוֹלָה h. e. *desertum maris quod est Babel, veniet contra Jersusalem celeritate magnâ* (4) facit huc locus Jerem. 51. 42. 43. (materialiter parallelus, si Babel scilicet Massa hujus sit objectum) ubi dicitur: *ascendet contra Babel mare, faciet ejus civitates in desolationem;* quæ verba videntur *desertum maris* exponere per *mare faciens desertum* s. desolationem. At verò nobis affirmativa prioris membri quæstionis præfertur. Cum enim præcedentium vaticiniorum inscriptiones, nempe *Massa Babel* c. 13. *Massa Peleschet* s. Philistinum c. 15. *Massa Moab* c. 16. *Massa Damasci* c. 17. *Massa Mizrajim* c. 19. imò & sequentium *Massa Duma* & *Massa Arabia* in fine cap. hujus 21. item *Massa vallis visonis* c. 22. & *Massa Tyri* c. 23. non efficienter sed *objective* se habeant h. e. *objectam* vaticiniorum illorum exhibeant, cui excidium prænunciatur; quare non etiam in capitis hujus 21. initio titulus *Massa deserti maris* objectum hujus prophetiæ significaret? Sanè hoc argumentum prævalet rationibus in contrarium adductis. Ad 1. enim rationem, ex verbis immediate sequentibus petitam, resp. negando consequentiam. Supponere hæc videtur, verba illa esse tituli expositionem, de quo videatur infra quæst. 4. § 10. Ad 2. & 3. resp. autoritatibus opponendo hinc rationes longè fortiores. Ad 4. ex Jerem. desumptum

R r 2

resp.

resp. hypothesin esse falsam, uti ex dicendis elucescet.

§. 3. Circa quæstionem, quid per מִדְבַּר יָם *f. desertum maris* intelligatur, *Babelne an alia tellus?* magno quidem consensu Interpretum tam Jhudæorum quàm Christianorum *Babylonem* itur, h. e. non nisi *Babel* per desertum maris intelligi, adeoque *casum Babelis* à Persis Medisque desolandæ hoc Massa prædici statuitur. Argumenta illorum præcipua hæc sunt (1) quia in hoc Massa v. 2. *Elam & Madai* i. e. Persæ & Medi ad *ascendendum & obsidendum* vocantur: Per Medos enim & Persas devicta est *Babel* juxta *Jesai. 13. 17.* & *Jerem. 51. 28.* quoniam non sub titulo *Elami* sed *Madai.* (2) quia vox in hac Prophetia v. 9. disertè clamat נִפְלָה נִפְלָה בָּבֶל h. e. *cecidit, cecidit Babel.* Unde *B. Seb. Smidius* in *Comment. h. l. certum*, inquit, *est ex v. 9. quod per desertum maris intelligatur Babel.* Alii interpretes ex v. 9. sic inferunt: Ergo totum Massa est *Babylonicum*, & porro: E. in ipso hoc titulo per *Midbar jam Babel* notatur. Nobis verò rationes pro *Babele* tanti non sunt, ut propter illas per vulgata Interpretum vestigia nos duci patiamur, adeoque per desertum maris necessariò *Babylonem* intelligamus, & non potius, propter alia fatis ponderosa prophetiæ hujus verba, quæ ad Massa *Babel* vel *casum Babelis* minimè quadrant, de alio prophetiæ hujus onerosæ objecto cogitandum esse judicemus. Ansam ita cogitandi post lectionem verborum v. 3. & 4. dedit mihi Præceptor quondam meus & dein Collega, *B. Varenius*, Theologus, Philologus & Orator incomparabilis, Fac. Theol. & Collegii Ducalis totiusq; Acad. Senior, quippe quo præside inter alias Disputationem de *Massa deserti maris*, in Commentario ejus *Isaiano* p. 145. & seqq. comprehensam, A. 1658. m. Apr. respondendo meam feci, tunc temporis Magisterii Philosophici & Laureæ Poëticae

ticæ Candidatus; quæquam ab ipso in non paucis etiam hîc dissentio, & obſcuriora quædam verbis & rationibus illuſtro.

§. 4 Quod verò ſtatuamus *objectum* hujus Maſſæ non eſſe Babelem, ſed potius *terram Jhuda & Jeruſalem*, adeoque Jhudæis hîc vaſtationem à magno והכּוּר והשׁוּר. e. prævaricatore illo & vaſtatore illo, ceu vocatur v. 2. nempe Aſſyrio. Babylonio interendam prænunciari, ad id ſequentia nos movent argumenta: I. quod in poſteriori Prophetæ hujus præmio v. 2. Jeſaias dicat, viſionem duram ſibi nunciatam eſſe. Viſionem vero hanc duram non Babeli (quod obvertitur) ſed Prophetæ & populo ejus dici & fuiſſe, ex ſeq. ratione ſic ſatis colligitur, quod II. Prophetæ propter duram hanc viſionem *vehementiſſima perturbatio & anguſtia* ſit orta: Sic enim ipſe verſu ſeqv. 3. de ſe fatetur: *propterea (propter duram ſcilicet viſionem mihi nunciatam) repleti ſunt lumbi mei dolore, anguſtia deprehenderunt me. ſicut anguſtia parturientis; incurvavi me, quando audivi, territus ſum quando vidi.* III. quod v. 4. conqueratur de *crepuſculo deſiderii ſui in trepidationem ſibi verſo*. Cor meum, ait. *cohorreſcit, crepuſculum vel nox deſiderii mei* (h. e. quod cæteroqvi ob revelationes mihi deſideratiſſimum) *poſuit mihi in trepidationem.* Quæ ſane omnia non in Maſſa Babylonicum paſſivum, ſed potius Jhudaicum quadrant. Maſſa enim Babylonicum, ſeu vaticinium de excidio Babelis, Prophetæ potius materiam religioſè exultandi, quàm adeo dolendi & conquerendi ſuppeditare potuiſſet. Siquidem à ruina Babelis pendebat liberatio Jhudæorum. Equidem novimus quomodo *Sanctius, Cornelius à Lap. Calvinus, Muſculus, B. Calovius in Bibl. illuſtr. & Forſerus* in Comment. ſuis, aliqve Interpretes communiter verſus 3. & 4. Regi Babylonio, ceu Oratori à Prophetâ repræſentato, adſcribant: imò hanc repræſen-

tationem B. quoque *Schmidius* in Coment. h. l. (quem coeteroqvi ex merito non rarò laudamus) præferre non dubitat, quin imò non Prophetæ induenti personam Babylonii, sed ipsi potius Babeli p. 180 hunc tribuit luctum, propter ultima versus quarti verba: *noctem amabilem mihi posuit mihi in pavorem* (qvæ tamen infra §. 9. rectius exponuntur) quasi Babel ita lugens à Propheta introducatur. At verò coacta hæc sunt omnia, prout rationes jam seqv. §. 5. afferendæ monstrabunt, & hypothesi hac falsâ nituntur, quod Massa hoc sit Babylonicum.

§. 5. Oratorem verò hîc esse *Prophetam*, sine repræsentatione vel personæ Belsazaris Babylonii Regis vel Babelis ipsius, id clarescit (1) ex *prima persona* per versus 2. 3. & 4. *continuatione*, qva dicitur: *visio dura nunciata est mihi*, nempe Prophetæ v. 2, *propterea repleti sunt lumbi mei dolore, angustia apprehenderunt me, incurvavi me, quando audivi, territus sum quando vidi v. 3. cohorrescit cor meum, noctem desiderii mei posuit mihi intrepidationem v. 4.* Ubi tamen notandum, quod versu 2. statim interseratur vel exponatur, qvænam illa *visio sit dura*, qvæ Prophetæ juxta initialia versus 2. verba est nunciata, eademqve ipsius DEI verbis breviter recensetur, quod scilicet *והשוֹרֵד וְהַבּוֹגֵר* i. e. *prevaricator ille & vastator ille*, nempe Assyrio-Babylonius (qui hæctenus generalis vastator, perfidiâq; & vastatione omnibus erat notus & formidabilis) adhuc futurus sit *בוֹגֵר & שׂוֹרֵד* i. e. *prevaricator & vastator*, ipsiqve regno Jhudæ (qvippe cui hæc Propheta juxta v. 10. annunciat, conf. §. 6.) infandum illaturus excidium, quemqve adeo DEus in dura hac visione advocat & excitat, ut cum auxiliaribus *Persarum & Medorum* copiis *ascendat* contra Jhudæos *urbemqve obsideat.* (2)

Prophetam hîc oratorem sine repræsentatione Babelis esse,

pa-

patefcit ex particula nexus causalis כִּי לְפָנָיו i. e. propterea, in verbis fequentibus v. 3. propterea repleti funt lumbi mei dolore &c. Scilicet propter duram vifionem ipfi Prophetæ v. 2. nunciatam, & quod omnem gemitum ejus ceffare facturum fit DEus. Cujus verò hic gemitus, & quomodo illum ceffare facturum fit DEus, paulò altioris eft indaginis quæftio, adeoq; non immeritò hîc interferenda. Respondemus verò ad quæftionem, cujus hic fit gemitus, vel quorû illud affixû in voce אֲנִי אֲנִי i. e. gemitum ejus, respiciat? dicimusqve non respicere (a) Babylonium, ut gemitus ejus dicantur, five efficienter, quatenus ille alios, nempe Jhudæos, gemere fecit: quæ aliàs fententia eft Kimcbii & Vatabli, quam præfert B. Seb. Smidius; five subjective, quatenus ipfe ingemuit; quò cæteroqvi tendere videtur verfo Germ. feines Seuffhens ein Ende machen: quia (a) vox Hebræa affixum habet fœmin. אֲנִי licet punctum mappik, notante Maforâ, hîc à litera אֵ exulet: vox enim אֲנִי אֲנִי est milra; fi verò אֲנִי illud finale effer paragogicum emphaticum (quod cæteroqvi Ludovicus de Dieu, fpreto hîc Maforâ, magno conatu prætendit) tum vox illa fuiffet mileל אֲנִי uti עֲרִיבָה auxilium præfentiffimum, יְשׁוּעָה falus omnimoda, צָרָה anguftia maxima: quia (b) non futurum illud fuiffet tam duræ ipfi Prophetæ vifionis argumentum, unde is tantopere doleret. Neque (β) pronomen five affixum ejus, respicere Prophetam q. d. hætenus genui & hodienu gemo; fed abhinc, quia pœnam Babelis jam prævideo, finem gemituum meorum faciet caufamqve luctus tollet DEus: illud enim neq; affixo fœminino jam offenfo in voce אֲנִי אֲנִי neqve titulo five notioni vifionis duræ v. 2. neqve confequenti propterea dolori Prophetico v. 3. & 4. convenire cenfemus. Diceremus ergo cum B. Varenio ad h. l. p. 158. fin. affixum illud fœm. in verbis: omnem gemitum

tum ejus cessare feci, referendum esse ad præcedentem proximè in eodem v. 2. vocem fœm. *דור* s. *duram visionem*, quippe quæ ipsa principio Prophetas & pios gemere fecerat, cū supplicii & excidii imminentis recordarentur; nunc verò gemitus hos, à visione dura expressos, ita cessare facturus erat DEUS, non ut omnem gemendi & lugendi causam tolleret, quia id nec titulo duræ hujus visionis, pœnam populo Jhudaico comminantis, v. 2. nec consequentibus propterea doloribus & torminibus Prophetis v. 3. conveniebat; sed potius, ut causam luctus auferret, gemitusque tacitos in clamores & ejulatus sonoros converteret. Si cui verò hæc affixi fœm. relatio ad vocem *דור* s. *visionem*, & superaddita explicatio Vareniana videatur coacta, diceremus affixum illud respicere commodius ad *objectum* hujus Massæ, nempe *urbem Jerusalemem & Jhudaam*, quæ *desertum* erat futurum, & propter cujus desolationem, visione durâ hîc prædictam, Propheta juxta seq. v. 3. & 4. tantopere dolet. Licet verò principale nomen fœm. ad quod affixum respiciat, hîc non appareat (quod cœteroqvi l. c. B. Varenius Tremellio ad *Ecclesiam* illud referenti opponit) notum tamen est, quod in Scripturis non rarò etiam constructio ad sensum fieri soleat, non ad vocem: imò quod imprimis *affixa relativa* quandoque referant ea, quæ remotius distant, licet adsint propiora, & quandoque respiciant ad id quod in textu sequitur: imò & quandoque pro ipso antecedente ponantur, quod è textu eruendum est: sicut id B. Glassius in Phil. Sacr. docet, l. 3. Tr. 2. de Pronom. can. 10. 11. 12. horumque canonum varia producit exempla. Sic Psal. 114. nomen principale affixi relativi *ejus* in verbis v. 2. *factus est Jhuda sanctuarium ejus, dominia ejus*, neque in seqq. quatuor versibus, neque in præced. v. 1. apparet; quanquam versu demum 7. DEI

men-

Similiter & h.l. si non ad sensum constructio fieri debeat, affirmum tamen scem. ad consequens etiam Nomen scem. חטת i. e. *trituram* v. 10. referri potest, quæ est *Jhudea*, vid. seqv. §. 6. Ulterius & (3) Prophetam hîc esse oratorem sine repræsentatione Regis Babylonii vel ipsius Babelis, apparet ex signo dicti in verbis v. 6. sic enim dixit ad me Dominus, quod eundem respicit oratorem in v. 2. 3. & 4. Idem & (4) probat *nexus* verborum satis egregiè sibi constans, qui non admittit hîc nisi Prophetam de se ipso Oratorem. Et quis præterea (5) saltum talem probaret, quo nunc Propheeta, nunc Babylonius Rex, sine omni signo mutatæ loquentis personæ, repræsentetur, nunc iterum Propheeta loquatur?

§. 6. Rationibus contra Babel, pro *Jhudea* hîc objecto, accedit IV. *Epilogus* Prophetiæ *epiphonematicus*, ad *trituram* DEI & Prophetæ v. 10. directus, quo Prophetia hæc populo DEI destinatur, cum dicitur: *Tritura mea &c. vobis nunciavi, quod à Domino audivi*. Quinam quæso illi, ad quos Propheeta dicit: *Vobis nunciavi?* Non sanè Babylonii, sed *Jhudæi*. Ita enim arguimus: illi sunt tritura DEI adeoque objectum hujus Prophetiæ agnoscendi, quibus annunciavit Propheeta, quod audivit à Domino. Atqui non Babylonii erant illi &c. neque enim legitur Propheeta illos adiisse, illisve vaticinium transmisisse; neque illi curassent, sed potius vaticinia hæc risissent; sed *Jhudæi*, quibus hæc & alia sunt nunciata, ad partim ad informationem & correctionem, partim dehortationem & consolationem. Rectè ergo ad hunc versum 10. *Calvinus* in *Comment. super Isai. Non docet Babylonios, qui haur dubiè hæc vaticinia risissent, sed fideles, ut tametsi opprimerentur à Babyloniiis, DEO tamen se cura esse confiderent*. Deindè & hoc ipso epiphonemate videtur visionis hujus duræ intimatio non nihil mitigari, eò quod Dominus exercituum illam jusserit annunciari, ceu Propheeta ait,

S s

simul.

simulque tam *beneficium DEI*, sua per Prophetas consilia re-
velantis, quam *officium Prophetica* annunciationis, quo Pro-
pheta Jhudæis fuit à DEO destinatus, explicari. Tritura enim
Prophetæ erant Jhudæi ministerialiter, DEI verò principa-
liter. Vocat autem primò *trituram*, quia Ecclesiam in mul-
tis omnino prophetiis nomine DEI fecit trituri, vel per va-
rios illos hostes jussu DEI fuit trituri & ventilata, uti rectè
hîc Sanctius commentatur p. 215. Deinde & appellat *filium*
area sua i. horrei sui per Hebraismum i. e. frumentuum suum:
Frumentum enim in area horrei à paleis repurgatur. Quæ
appellatio rursus non Babylo ni sed Ecclesiæ convenit. Nec
V. contemnenda est ratio à *nexu Geographico* petita. Prophe-
ta enim ab Ægypti Massa, quod cap. 19. & 20. proposuerat,
procedit ad Massa vicini Jhudæ regni, sub obscuro nomine
deserti maris, cap. 21. & dehinc ad *Massa Duma* i. e. Idumææ,
& *Massa Arabia*, tanquam finitimarum Jhudææ terrarum,
eaque vaticinia, non tantum ob breviteratem, sed & nexum Ge-
ographicum uno hoc cap. 21. conjungit.

§. 7. Præterea & rationes pro Massa Babylonico infir-
miores sunt: Nam ad (1) rationem ex versu 2. ab *ascensuro E-*
lam h. e. Persa, & *obseffuro Medo* petitem, respond. quod *Persa*
ascendens & *Medus obsidens* non necessariò pro objecto habe-
ant Babylonem. Licet enim Babel à Persis & Medis sit devicta;
notum tamen est, quod etiam vastator Babylonius Nebu-
cadnezar auxiliares Persarum & Medorum copias habue-
rit, cum Jhudæorum metropolin Jeruschalem expugnaret, id
quod vel in seq. c. 22. v. 6. confirmatur, ubi iterum Persæ &
Medi incedere armati contra vallem visionis i. e. Jeruscha-
lem & terram Jhudæ prædicuntur. Assyrius enim sub se
magnas habuit Persiæ & Mediæ partes, quod vel deportatio
decem tributum in extremas Persiæ & Mediæ regiones osten-
dit,

dit, de qua legitur 2. Reg. 16. 9. c. 17. 6. In illis verò Babylonius victor Assyrio successit. Conf. & Dan. 6. 8. 15. c. 8. 2. Ut proinde argumentum hoc ab *Elam ascendente & Medo obsidente* petatum, nostram potius sententiam de Jhudæa, quam adversam de Babel confirmet. Quod (2) ad verba versus 9, נפלה *cecidit, cecidit Babel*, attinet, facile hæc de *casu* Babelis *activo* possent explicari. Quis enim ignorat, quod militibus, cum terras hostium invadunt, talis tribuatur נפלה sive casus activus? Ita enim Judic. 7. 12. Midianitæ dicuntur נפלו, e, *cadentes*, ubi Lutherus: *Sie waren eingefallen*: & clarius adhuc Ijob. 1. 15. ותפול שבא & *cecidit Saba*, Lutherus: *Da stelen die aus Reich Arabien herein*. Similiter & h. l. verba objectionis reddi possent: *Es ist eingefallen Babel/nemlich in das Jüdische Land*. Quomodo & R. Abarbanel hunc casum Babelis interpretatur; quam tamen interpretationem non facimus nostram. Apparet vero inde, quod ex solo posito illo non satis probetur Massa Babylonicum; neque sequatur, vox audita in hoc Massa est casus Babelis, E. totum Massa est Babylonicum, E. Babel notatur per desertum maris. *Dices*: Quid verò sibi volunt hæc verba, *cecidit, cecidit Babel*, si non casus Babelis passivus iisdem ita prædicatur, ut propterea Babel hujus Massa objectum fuerit, neque Massa hoc Babylonicum censeatur? Respond. particulam quidem hujus Massa esse Babylonicam passivam concedimus: postquam enim Jesaias, maxime anxius ad hanc visionem de vastatione Jhudææ doluerat, adeoque dura ipsi merito hæc visio fuerat, juxta v. 2. & 3. prætereaque speculator iussu DEI ab ipso constitutus v. 6. de rerum tandem harum eventu sollicitus erat v. 7. en simul ipsi futurus deinceps Babelis casus indicatur & interferitur v. 9. nunc quoque populo DEI mox triturando in solatium præ-

nunciandus v. 10. Inde v. non conficitur, principale objectum hujus Massa esse Babel, adeoque per desertum maris hinc esse Babel intelligendam.

S. 8. Proinde & quæstio III. quæ quæritur, *cur Babel vocetur desertum maris*, simulatque tot Disputationes, de ratione denominationis hujus, quas in Commentariis Sanctii, Cornelii à Lapide, Calvini, Musculi, Försteri, B. Seb. Smidii aliorumque legimus, merito expirant. In locum verò quæstionis illius de Babel, quare illa desertum maris appelletur, succedit alia, & quidem hæc: *quæ ratione terra Jhuda & Jersuschalem, quæ per rationes supra deductas objectum hujus Massa nobis judicatur, desertum maris dicatur?* Duas verò hęc rationes appellationis, ex ipsis rationibus adversæ interpretationis mutuatas reddemus. Scilicet (1) quod hac appellatione *deserti maris* ad futurum urbis *Jersuschalem & Jhudææ statum* respiciatur, & juxta stylum Propheticum nomen *deserti maris* ipsi in titulo tribuatur tanquam jam præsens, quod certò futurum prædicitur. Siquidem Jhudæa & Jersuschalem per excidium, à Rege Babylonio magno *vastatore illo* inferendum, erat desertum futura, voce *deserti* improprie sumtâ. Siquidem vox מִדְבָּר *f. desertum* accipitur, tam proprie quàm improprie: *proprie* (α) pro locis vastissimis, qualis Arabia deserta Jer. 25. 24. (β) pro loco planè solitario & non habitato ab hominibus Matt. 14. 10. c. 15. 33. c. 24. 26. (γ) pro loco quidem non planè solitario, sed in quo rari homines habitant Marc. 6. 31. 32. 35. (δ) pro loco prorsus tum inhabitato tum inculto, in quo tantum sylvæ & vepres, domicillum serpentum &c. quale desertum fuit, per quod inceserunt Israelitæ ex Ægypto liberati, quodque sic describitur Deut. 8. 15. Deinde & *improprie* inter alia sumitur pro loco qui desolatus, vel pro civitate quæ vastata vel everta est. Sic Jesai. 64. 10. dicitur: *Civitates sanctitatis DEI fuerunt desertum, Zion desertum, Jersuschalem desolata.* Conf. Jer. 49. 33. c. 52. 12. Et in hoc quoque sensu respectu status futuri appellatur hic Jersusalem & Jhudæa *desertum*, quia per Babylonios, Persasque & Medos deserta erat reddenda & vastanda. Quod si enim *Babylonia*, ob istam quoque rationem à Sanctio, Cornelio à Lapide, Musculo, Forstero aliisque Interpretibus, qui illam per desertum maris intelligunt, *desertum* dicitur, quia hoc ipso respectu ad desolationis statum habetur, in quo futura erat Babylon, à Cyro jam expugnata: & quidem *desertum maris*, quia ad ingentem illam paludem operâ Nitocris Regiæ effectam sita fuit, quæ
maris

maris ampli speciem objecit, quare non terra Jhudæ & Jeruschalem à simili vastationis statu, per Babylonios ipsi inferendo, diceretur *desertum*? & quidem *desertum maris*, Luth. *Wüste am Meer* / propter vastissimum mare Mediterraneum, quod Canaanitidem (quæ terra quoque promissionis & Philistina, s. tenui literarum factâ commutatione, Palaestina nominatur, terramque Jhudæ & Jeruschalem complectitur) ab occidente attingit & quasi cingit? (2) Jhudæa potest dici *desertum maris* *Wüste am Meer* / quod licet terra fuerit bona, terra frumentiac vinearum, terra olei & mellis, ceu prædicatur Deut. 8. 8. tamen & multa habuerit deserta maris, nempe desertum prope mare mediterraneum, quod vocant arenosum, & solitudinem Bersaba inter torrentem Ægypti & torrentem Belor, in mare mediterraneum sese exonerantes, item desertum Sin s. desertum Jhudæ in tribu Jhuda versus Idumæam, desertum Maon & desertum Ziph, desertum Engaddi & desertum Thecua, omnia in tribu Jhuda circa mortuum mare: porro desertum Jafa in tribu Ruben, desertum Bethsaidæ, ad mare Genesareth in dimidia tribu Manasse, desertum Capharnain ad idem mare in tribu Naphthali; quanquam posteriora ad regnum Israel pertinent. Quod si enim ex communi Interpretum sententiâ Babel, objectum Prophetiæ hujus, *desertum maris* vocatur ob contactum magnorum tum versus Persiam, tum versus Jhudæam desertorum, & vo d illam fluvius Euphrates sic satis sinuosus & tortuosus, & in lacus lat amplos ad Babylonem effusus, eam cingat & transfluendo dividat, quare non etiam terram Jhudæ diceremus desertum maris, non tam ob contactum deserti Arabici deserti & deserti peregrinationis Israelitarum, quàm ob complexum tot desertorum Jhudæ paulò ante dictorum, & quod deserta illa ex parte fuerint ad mare sita, & ipsa quoque Jhudæa, abs mari mediterraneo, ceu antea dictum, quasi cincta? Dices (1) nimis obscurus esset titulus, & objectum hujus Massa planè occultum, si per desertum maris intelligeretur terra Jhudæ & Jeruschalem. Sed Resp. imò non minùs esset obscurus hic ipse titulus, si per *desertum maris* intelligeretur Babel. Sufficit autem, quod in ipso vaticinio talia dentur verba, ceu dictum, quæ objectum esse Jhudæam sic satis arguunt. In Prophetiis verò multa esse obscura & nomina saepe occulta, quis ignorat? Annon etiam sequentis vaticinii cap. 22. propositi titulus quodammodo est obscurus, cum Jhudæa & Jeruschalem *vallis visionis* vocatur. Inde est quod Cocceus Tom. 2. Comment. in Jesai. p. 1027. titulum hujus Massa *anigmaticum* vocare non dubitet

dubitet, & quamquam Babylonis & casus ejus mentio hic fiat, revera tamen hanc Prophetiam ad Israelem pertinere eiqve v. 10. destinari, & servitutem ejus pronunciari, disertè contendat: cujus Viri iudicium, quod paulò seriùs nobis occurrit, non parum nos in hac sententia confirmat. Dices (1) Si Jhuda & Jeruschalem essent objectum hujus Massa, idem objectum sequenti statim capite 22. sub titulo *vallis visionis* non recurret. Sed Resp. 1. per instantiam: annon etiam contra Babel jam supra cap. 13. & 14. Massa fuit propositum? igitur perperam Massa Babel hic cap. 21. recurreret. (2) negando consequentiam. Desolatio enim, quæ paulò obscuriùs & generaliùs & breviùs Jhudæis præsentis cap. 21. proponitur, illa seqv. c. 22. clariùs & specialiùs & prolixiùs per 15 versus exponitur. Ibi enim disertè v. 9. *Civitas David*, & v. 10. *Jeruschalem* nominatur.

§. 9. Sed objicitur (1) à Dissidentibus, quod verba versus 4. & 5. *crepusculum desiderii mei posuit mihi in pavorem, Dispone mensam, speculari in specula, comede, bibe; surgite Principes, ungitis clypeum*, commodè satis ad noctem illam Babylonicam convivalem Regi quæ Balthasari epulatore funeralem referantur, de qua Dan. 5. v. 1. & 30. adeoque illa ipsa probent, Babyloniæ esse Massa hujus objectum. Ita enim ipse B. Seb. Smidius h. l. *Malleus cum v. 3. hæc quoque verba Babyloni tribui, quæ à Propheta introducatur loquens. Illa poterit omnino dicere: crepusculum desiderii mei ponitur mihi in trepidationem. Et hac ratione accipimus de ipsa ultima nocte, qua capta est Babylon. Nam Dan. 5. recensetur, quod Balthasar convivium instituerit &c. Hoc etiam confirmari putat idem B. Smidius sequente versu 5. dispone mensam, speculari in specula, comede, bibe &c. ad quem ita pergit commentari: Videtur melius dici, Prophetam prævidere, quid Babylonii sint facturi, comedendo, bibendo; reprehendere autem, quod non faciant, quod faciendum esset, scilicet ut sumris clypeis impetum hostis impedirent, q. d. video in Babel nihil aliud, quàm apparare illos mensas &c. At vos principes, quare non potius surgitis & ungitis clypeos? his namque opus erit. Hactenus ille. Sed Resp. (a) Etiam hæc deprehenduntur satis coacta, niti quæ illa hypothefi falsa, quod per desertum maris in titulo Babel intelligatur. Prius autem Babylonium hic oratorem debuisse probare Dissidentes, quàm talem ipsi orationem propter exiguam plane vel materialem quandam convenientiam tribuissent. Contra verò nos supra §. 3. aliquot rationibus jam probavimus, verba ipsius esse Pro-*

phetæ, propter duram hanc visionem sine representatione personæ Regis Babylonii vel Babylonæ corroborantis & nimio opere dolentis: neque enim in textu ullum apparet mutatæ hinc personæ signum vel ejus mutatæ necessitas. Resp. (b) Nox illa convivalis Regique Babylonio funeralis non meretur titulum *desiderabilis* vel *amabilis*, quæ tribuitur *crepusculo* v. 4. Si quidem terribilis planè fuit. Licet enim Rex Babylonius in illa nocte convivium instituerit splendidum; mox tamen inter pocula ob descriptionem in pariete palatii summopere trepidabat & subitaneo funere confternabatur. Dan. 5. (c) Nos ergo rectius cum B. Varenio non tantùm per *crepusculum desiderii* Prophetici h. e. desiderabile, statuimus indigitari *noctes Propheticas*, ex visionibus colloquioque cœlesti ac revelatione hæctenus quidem Prophetæ sic satis amabiles & desiderabiles; nunc verò, ubi tam dura & terribilia Jhudææ regno, à vastatore formidabili Babylonio, Persisqve & Mediis sub ejus ductu auxiliantibus, inferenda revelantur, in trepidationem juxta v. 2. disponi: Prophetam enim ipsum sine representatione oratoris Babylonii hic loqui & dicere: *קִשְׁרָה אֶשְׁרָה* i. e. *crepusculum desiderii mei*, &c. suprâ ostensum est: Sed etiam quod de *instructione mensæ* & similibus additur, meliùs intelligi de *securitate* Jhudæorum, quibus hinc vastatio prædicitur, adeoque dicendum esse, Prophetam hinc prævidere vel eidem representari securitatem Jhudæorum, (qualis & seqv. c. 22. v. 13. 14. in *Massa vallis visionis*, i. e. Jeruschalem & Jhudææ describitur) adeo ut imminente licet Babylonio vastatore & sub ejus ductu ascendente Persæ & obsidente Medo, magis tamen securi sint & obstinati, ita ut hinc mensas adornent & securi speculatoris sui comessentur; illinc verò acclament principes: surgite, polite scuta. Objicitur (2) ab eodem B. Smidio p. 185, quod non tantùm v. 10. quo *trituram* suam alloquitur, sed & toto hoc capite nulla fiat Jhudæorum mentio, ut adeo subodorari aliquid de Jhudæis nulla ratione possimus. Sed respond. Licet nominetenus Jhudæorum mentionem Propheta non faciat, talia tamen hinc verba & prædicata v. 2. 3. 4. 10. adhibet, quæ subjectum non Babelem, sed Jeruschalem & Jhudæam faciliè arguunt, sicut ex jam dictis §. 3. 4. 8. patescit.

§. 10. Q. IV. Circa titulum, *an verba versus primi post titulum immediate posita*, quæ Lutherus reddit: *wie ein Wetter vom Mittwoch kommt das alles umkehret / so kommt aus der Wüsten / aus einem grausamē Lande / ad titulum hujus Massa pertineant*, & cum eodem tanquam expositio ejus sint conjungenda; an verò his Prophetia ex abrupto inchoetur? *Saalfeldius* p. 207. ad h. l. existimat, in his verbis esse abruptum inchoandi vaticinii

ticinii modum, quo maxima celeritas indicetur, quia moles imperii Babylo-
lonis sit collapsa. Contrà B. Seb, Smidio p. 179. videtur, prophetiam non a
deo abruptè hic, sed v. 2. à verbis, *visio dura &c.* esse inchoandam, idque
putat ipsam sermonis naturam persuadere: unde & verba membri secundi
versus primi cum titulo, tanquam expositionem ejus, conjungit, totamque
versum, interposito tantùm relativo וְזָרָה i. e. *quod*, ita vertit: *Onus deserti
maris, quod (desertum maris) turbines in (vel à) meridie ud transeundum
è deserto venit (h. e.) è terra formidabili.* Ante Smidium idem ferè Tremel-
lius statuit, totumque primum capitis versum esse titulum, & membrum ver-
sus secundum modificationem primi judicavit. Sed B. Varenius p. 153. id
contra Tremellium negat, & Lutheri versionem hinc præfert. Nobis (1.) non
adeo insuetum neque durum censetur, Prophetias quasdam abruptè post titu-
lum accentu Atnacho terminatum inchoari, quod patebit conferenti supe-
rius Massa Babel Jesai 13. 1. & Massa Moab c. 16. 1. uti & sequens Massa vallis
visionis c. 22. 1. & Massa Tyri c. 23. 1. Proinde nec (2) nobis hic, ad evitandum
ex abrupto inchoandi modum, necessitas interponendi relativum וְזָרָה i. e.
quod, apparet; licet alias Ellipsis illius Relativi in V. T. scriptura non raro oc-
currat. Quod si verò (3.) Ellipsis Relativi *quod* obtinere hic debeat, rectius
tamen illud referendum erit ad vocem וְזָרָה l. onus, quàm juxta Smidium ad
desertum maris: quomodo enim desertum maris commode ex deserto venire
dicitur? Coeteræ quæstiones quæ moveri circa hunc versum (veverunt, ad
nostrum hic institutum non faciunt.

S. II. *Discimus* hinc, quàm inania sint regnorum incrementa, quam-
que inconstans sit status terrarum florens. Nam etiam si illa ad mare fel-
citer excrescant omnibusque rebus cum Jhudæa & Babel abundant; facilè tamen
deserta à DEO redduntur, sicubi contra ipsum cum Jhudæa & Babel insole-
scunt & securitati indulgent. Proinde & *movemur*, ut fiduciâ nostrâ semper
DEO adhæreamus, nec ipsum deseramus, ne rursus ab ipso deserti, deser-
tum siamus. Fidentem nescit deseruisse DEUS. Denique & *solatio* hoc frui-
mur, quod ex contextu occasionaliter simul exposito fluit, quod DEUS qui-
dem, dum Babel floret, nos in desertum propter peccata nostra ducat &
afflictionibus nos trituret; in ipso tamen etiam deserto gratiâ nos suâ susten-
tet ac spe liberationis, propter tentatum in deserto filium suum, reficiat, ut
à quisquiliis repurgatos reducat, tandemque in horrea sua mansiones-
que æternas colligere nos queat.



RESPONDENTIS חוספוח

- I. **P**ietista barbaro nomine & per jocos ita vocati, dum pietatis & reformationis volunt esse professores, impietatis & confusionis evadunt promotores.
- II. Fanatica illorum dogmata Augustana Confessioni non sunt conformia, adeoque nec ipsi pro genuinis illius Confessionis Augustanae sociis sunt habendi, nec illorum dogmata in Imperio jure toleranda.
- III. Collegia pietatis privata à Pietistis, ex diversis hominum familiis, sine consensu Ecclesiae, neglectis concionibus publicis instituta, suspicionis multum, fundamenti autem velex scriptura velex antiquitate nihil habent.
- IV. Studium bonorum operum salvando per Christum non est necessarium, licet illud justificatio singulariter sit commendandum: quippe quod etiam gratia Evangelii intendit, proptereaque homini virtutem bene operandi largitur.



Praclare docto solertissimog, Respondenti,
DNO. PRUSSINGIO,

Tertium jam industriæ atq; eruditionis specimen

publicè daturò

FELICITER!

Ingenii, Prüssinge, Tui vis ignea claret:
Nam studio semper fervis & alta petis.
Alta petunt ignes. Vice trinâ surgis, & alti
Exferis ingenii vim. DEUS ornet eam,
Ulteriusque sacri Te * purget Flaminis * igne;
Sic fatis es doctus, sic quoque * sanctus ades.
* Preussingius: sis igne purus. LMQ.

A. D. HABICHHORST, D.



Siehet Er abermahlt mit Ruhm auff diese Bühne
Und bringet von seinem Vieh uns eine neue Frucht/
So wird auch nach der Erndt ein Ehren-Lob gesucht
Von JHM / damit sein Nahm auch in dem Winter grünts.

Ich wünsche herzlich Glück von GOTT und viel Gedeihen /
Damit sein Wohlstand Ihn und viele mög erfreuen.

Dieses schrieb seinem Vielgeehrten Freunde und Haus-
genossen zum Lobe und Ruhm

M. GEORGIUS Niehenck /
Pastor ad D. Mariæ.

Ad

Clarè Doctum & Per-Eximium DN. RESPONDENTEM

Amicum & Fautorem æstimatissimum.

NOta tui ingenii satis est vis enthea nobis:

Ergo quid, Fautor, nostra Thalia canet ?

Rara tua est pietas & rara modestia morum,

Quam quovis melius carmine vita probat.

Nec vulgaris ad hæc rerum doctrina sacrarum.

Perge: favens cœlum digna brabœa parat.

Honoris & amoris ergo f.

GEORG. FRID. Niehenck / Rostoch.
S. Theol. Licentiatus.

Si ist das dritte Mahl / da dich die Musen grüssen /
Und dein bekantter Fleiß mehr als ein Jaspis strahlt:

Ein jeder muß hiebey die Weisheit blüßig küssen /

So Dir von ihnen wird an Solches staat gezahlt.

Und dazu wünsch ich Glück / und alles Wohlvergünzen:

Des Himmels güldner Stang der blick Dich freundlich an.

Es müsse alles sich um / an und für Dir fügen /

So wie, es Dir gefällt, und Dich erfreuen kan.

Hiermit wolte seinem wehrtesten Freunde gratuliren
dessen Verbundenster

CHRISTIANUS Drener / Rostoch.
S. S. Theol. Stud.

Glück zu! mein wehrter Freund /

Zu diesen Ehren-Stuffen /

Da ich hör' Ihm zuruffen

Daß Ihm die Sonne scheint /

Und daß sein Fleiß sich fehr in Ruh /

So wünsch ich abermah: Glück zu!

Dieses setzte aus schuldigster observance des Hn. Resp.
beharlicher Freund

JO. BALTH. Niehenck / S. S. Theol. Stud.



J/5 J/5 J/5 J/5 J/5



RESPONDENTIS רוספות

- I. **P**ietista barbaro nomine & per jocum ita vocati, dum pietat
mationis volum esse professores, impietatis & confusion
promotores.
- II. Fanatica illorum dogmata Augustana Confessioni non sunt con
deoque nec ipsi pro genuinis illius Confessioni Augustana so
bendi, nec illorum dogmata in Imperio jure toleranda.
- III. Collegia pietatis privata à Pietistia, ex diversis hominum fa
consensu Ecclesia, neglectis concionibus publicis instituta, sus
tum, fundamenti autem velle scriptura velle antiquitate
- IV. Studium bonorum operum salvando per Christum non est nec
cet illud justificato singulariter sit commendandum: quippe
gmtia Evangelii intendit, proptereaque homini virtutem
di largitur.

Praclare docto solertissimoq; Respondenti,
DNO. PRUSSINGIO
Tertium jam industriæ atq; eruditionis specia
publicè datur
FELICITER!

Ingenii, Prüssinge, Tui vis ignea claret:
Nam studio semper fervis & alta petis.
Alta petunt ignes. Vice trinâ surgis, & alti
Exferis ingenii vim. DEUS ornet eam,
Ulteriusque sacri Te * purget Flaminis * igne;
Sic satis es doctus, sic quoque * sanctus ade
* Prüssingius: sis igne purus. LMQ.

A. D. HABICHHO

Steigt Er abermahl mit Ruhm auff diese Bühne
Und bringt von seinem Fleiß uns eine neue Frucht/
So wird auch nach der Endt ein Ehren-Lob gesucht
Von **JHM** / damit sein Nahm auch in dem Winter grüns.

